Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1303

Quelle:
Copyright:

ab eodem, qui infra nominabitur.

II. *fol.* 6. *Contemplationibus deuotiſſimis dolorum beatiſſime marie virginis quos habuit tempore paſſionis filij ſui domini noſtri.* Sunt numero XLII. quarum prima incipit: *Lazaro reſuſcitato vt habetur Joh. XI. Quidam iudei retulerunt miraculum ipſum ſcribis et phariſeis* &c. Finiunt cum Aſcenſione Domini, unde ad calcem: *De miſſione ſpiritus ſancti vide actus apoſtolorum.* Suſpicor, pertinere ad eundem Autorem.

III. *fol.* 51. *De Roſario beatiſſime marie.* Praenotatur: *Sequentium determinacio quodlibetalis facta Colonie in ſcolis arcium Anno a chriſti natali milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, per fratrem michaelem franciſci conuentus inſulenſis ordinis predicatorum Sacre Theologie profeſſorem tunc temporis in Conuentu Colonienſi prefati ordinis regentem.* Initium eſt: *Primum quodlibetum. Cum dauid dicat, particeps ego ſum omnium timentium te* &c. Sunt *Quodlibeta*, uti tunc in Academiis adpellabantur, numero XVI. Illa excipit

IV. *fol.* 81. *Tractatus pulcherrimus de partibus integralibus ſeu materialibus roſary virginis gloriose videlicet Simbolo, ſalutacione angelica, Oracione dominica et Antiphona Salue Regina. Et primo quare premittitur Simbolum apoſtolorum* &c. Nititur Autor reconciliare hujus precandi Formulae criminatores, qui videntur malle rudem et meditationis incapacem plebeculam abſtinere ab orando Deo, quam easdem formulas repetere, immemores exempli τȣ Θεανθρωπȣ, qui *oravit tertio eundem ſermonem dicens. Matth.* 26. De *Antiphona* memorata nihil habetur in *Codice*; Titulus tamen oſtendit non omnino erraſſe *Simlerum* in *Bibl. Geſn.* quamvis *Echardus* in *Scriptt. Ord.* T. II. p. 8. nihil de Expoſitione hujus *Antiphonae* a *Michaele* adornata compererit. Fuit *Michael Franciſci* patria *Inſulenſis Flander*, ſodalitio *Dominicanus*, a *Maximiliano* I. Imp. formandae *Philippi* filii adoleſcentiae adhibitus, et deinceps Epiſcopi *Salubrienſis* titulo condecoratus, ut pluribus videre eſt apud *Echard. cit.* item in *Biblioth. Belgica Foppenii*, et *Colonienſi Harzhemii.* Ejus *Quodlibeta* ſupra adducta lucem videre *Bonon.* 1500. An vero etiam *Coloniae* 1476. et 1479? Id quidem de evulgatione intelligi malim, quam de typis. *Deciſionis* ejus *de VII. Doloribus* editionem adſcribam nemini hactenus memoratam. Prodiit illa in Oppido *Auſtriae Schrattenthal* hoc rubro: *Michaelis Franciſci de Inſulis Quodlibetica De ciſio cum Officio et Miſſa de Doloribus ſeu Compaſſione beatiſſime virginis Marie.* 1501. 4.

CCCXXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 416 proxime lapſi Folior. 66. 4. inſcribitur: *De Myſterio Immaculatae*